

Vg  
5425







RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**CHRISTOPHORVS  
HENRICVS  
ZEIBICHIUS**

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
REG. ELECTOR. CONSISTORII ASSESS. TEMPLI  
OO. SANCTORVM PRAEPOSITVS ORDINIS  
QUE SVI. H. T. DECANVS

**CIVIBVS ACADEMICIS**

S. P. S.



**N**oua salutarisque lux in Saxonia,  
rebus hominum quondam de-  
speratis, oboritur, et, dispulsa  
temporum caligine, quam super-  
sticio induxerat, latius effulgens,  
diuinae ueritatis intelligentia, gentes diu iun-  
ctissimas illustrat. Operis, tam mirabiliter  
editi, auctor actorque est ipse Deus, sed hu-  
ius administer fidelissimus sanctissimusque,  
Martinus Lutherus. Hic, diuino perculsus  
afflatus, simplex illud atque sincerum, quod  
reperit in coelestibus Oraculis, quod in do-  
ctrina tempestatis suae desiderat, ab obliuio-  
ne vindicatum, in memoriam uitamque homi-  
num reuocat, rejecta opinionum uanitate,  
quae mentes, a uero flexas, auitis erroribus  
distrinxerat. Quam quidem ad rem  
quanta fuerit opus animi magnitudine, quan-  
taque **CONSTANTIA**, ille ~~deum~~ in di-  
cauerit, qui perspectum habeat, superioribus  
saeculis haud defuisse Testes Veritatis, de qui-  
bus integra componantur uolumina, sed te-  
stibus his uel excelsitatem animi defuisse, uel  
consilium periculis par, ac felici rerum exitu,  
fatoque Reipublicae Christianae prospero, in-  
uictum. Nondum enim exarserat illa uir-  
tus heroica, quae, diuino spiritu excitata, di-  
uino robore munita, supraque humanam eue-  
cta fidem, nulla ui externa infringitur, sed ipsis  
rerum difficultatibus corroboratur, et, altius  
elata, proruit atque dissipat, quicquid coeptis  
obsistere uideatur. Cuius quidem fa-  
cultatis nihil in Luthero, uel agnoscunt, uel  
susplicantur, aequales eius, ciuili prudentia  
insignes, qui tametsi necessitatem emendandi  
sacra

facra intelligunt, operis tamen tam ardui cogitatione perterriti, Martinum in cellam suam, ad implorandam Domini misericordiam, abire iubent, ac latebris abdi. At ille, quo coepit animo, eodem propositum tenet, eodem ueritatem, ex fontibus sacris haustam, mente conceptam, Tabulis in publico Vitembergae propositis, promulgat, eodem doctrinam, a temporum corruptelis repurgatam, tradit, eodem traditam, et ore styloue assertam, usque ad extremum spiritum, tueritur. In hac enim cogitatione curaque defigitur, ut mysteriorum coelestium disciplinam, placitis humanis deprauatam, castiget, nouis sanctionibus detortam, ad ueterem diuinamque normam reducat, eam denique, fucō sanctitatis abstergo, in suam restituat pristinamque dignitatem. Hic, ut uiam Salutis, falsis religionibus obstructam, rursus aperiat, inter ceremoniarum inanum uesperos, animaduertit, ac dumeta, incedendum fibi fore, conflictandum cum monstris opinionum, caput periculis obiciendum. Sed, Deo, cuius caussam suscepit, confisus, ne ipsas quidem fauces rictusque Leonum rugientium extimescit, quin, addito iam gradu, super leonem, ut ipse cum Psalmista loquitur, et aspidem, gradiatur, et iuuenem leonem draconemque conculcat. Nullis enim blanditiis munerumque pollicitationibus mouetur, quin cursum suum teneat, nullis hostium minis ac terroribus, quin, Vormatiae Vangionum, in frequentissimo Imperii conuentu, antiquae fidei testimonium coram animoque edat, nullo infidiarum metu, quin, arrepto fidei, quam in solo Christi merito fundat, clypeo, in uestigio, semel fixo, insitens,

49 5725 M

stens, omnem excipiat impetum, pro Deique gloria, dum uixerit, fortissime propugnet. Videris hic tibi uidere Athanasium quendam, pro fide incorrupta acerrime decertantem. Athanasium dico. Immo uero Eliam quendam cernas alterum, qui, diuino ardore incensus, occurrat hostibus, hisque propulsis atque deiectis, cultum simulacrorum conuellat, fallaciarum praesidiis exutum. Omnino, superiorum saeculorum spatiis mente percursis, inde ab ipsis, comperimus, Apostolorum temporibus nullam rem, in Ciuitate Dei, neque maiorem fuisse gestam, neque illustriorem, neque alium iam, quam Lutherum, Angelum esse illum Ioanneum, qui medium per uolet coelum, solatia apportans Euangelii Aeterni. Merito igitur ingens diuinumque opus Religionis, per Lutherum in pristinum uindicatae, ueneratur *Godofredus Schrey, Delitiensis Misnicus, politissimi Iuuenis ingenii, ac praeclarae spei, dignus certe Patre Optimo, VVolfgango Henrico, Doctore, medendi scientia, usu, felicitate, et nominis celebritate, praestanti. Hac mente, religioni dedita, ex lege beneficii VVeyrauchiani, publice uerba faciet de Prouidentia Diuina in Reformatione Lutheri.* Dicturus autem est crastino, Hora matutina nona, in Auditorio maior, cui uestram, CIVES, in audiendo humanitatem defore, nemini ueniet in opinionem, qui quidem uos habuerit cognitos, P. P. anno recuperatae Gratiae cccccc XL, XVIII Cal Ianuarias

---

VITEMBERGAE  
PRELO SCHEFLERIANO

ULB Halle  
006 545 645

3





Vg  
5425



RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**CHRISTOPHORVS  
HENRICVS  
ZEIBICHIUS**

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
REG. ELECTOR. CONSISTORII ASSESS. TEMPLI  
OO. SANCTORVM PRAEPOSITVS ORDINIS  
QUE SVI H. T. DECANVS

**CIVIBVS ACADEMICIS**

S. P. D.

